

VIII. Habet tormenta sua hellica; quæ in Deipara quid sunt, quam actus charitatis vehementer inflammati et magno impetu erumpentes partim versus Deum, in cuius amorem tota exardescibat, uti ex ejus Cantico: *Magnificat*, colligit Sanctus Bonaventura, in spec. cap. IV. *Anima enim, inquit, quod amat, hoc magnificat et in hoc exultat: idcirco anima Mariæ Deum decentissime magnificavit et in Deo firmissime exultavit, quia Deum excellentissime amavit.* Quia explicet quanto amoris impetu exploserit, quodammodo e cordis sui penetralibus verba illa: *Ecce ancilla Domini? Et illa: Fili, quid fecisti nobis sic?* Partim erga proximum, ut indicat ejus sollicitudo pro sponsi et sponsæ inopia sublevanda et honore tuendo, cum dixit: *Vinum non habent*: et compassio ejusdem pro sponsi sui mœrore, quem is perlatit ob amissum illum, quando dixit: *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.*

Perfecta charitas foras mittit timorem, ait Sanctus Joannes, epist. I. cap. IV. Id fecit in Maria, quando ea, omnibus recedentibus a Christi cruce, non recessit.

Perfecta charitas cognoscitur maxime in rebus adversis. Et Deipara omnium molestiarum et passionum Christi socia fuit, eique ad finem usque adstitit, imo postremum lanceæ vulnus pro Filio in corde suo excepit.

Denique: *Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis.* Maria posuit pro amicis suis Filium suum, quem magis dilexit quam seipsam.

IX. Habet turrim. Hæc significat spem et confidentiam Deiparæ, quam habuit in Deo firmissimam, ut posset ei dicere id Psalm. LX. *Factus es spes mea turris fortitudinis a facie inimici.* In hac enim turri quasi in securissimo refugio consistens contempsit omnes difficultates, quæ se illi objiciebant pericula, insidias, metus; velut cum assensum dedit angelo Gabrieli. Poterat enim tunc, et nostro judicio debebat cogitare ac respondere: *Vides me parentes habere, quibus hac de re cogar reddere rationem: scis me habere sponsum; quid ille de me sentiet, cum gravidam me viderit, quæ thoro ejus non jungor? Dicet me adulteram, vel si dixerit esse opus Spiritus sancti, blasphemam.* Ad hæc qua ratione potero superare difficultates, quas prævideo, uti paupertatem meam, insidias Judæorum, invdiam contribulium et vicinorum, gladium doloris, qui non semel tantum cor meum penetrabit, etc. Nihil horum ipsa, sed in Deo nixa totam se ei commisit. Rursum quanta animi fiducia per furentem turbam sacerdotum, Judæorum, militum penetravit ad Filii crucem? Quid enim agis mu-

lier? Non metus ne insanus furor populi Filium tuum obruens, una te quoque obruat? Quis ibi te defendet? Quis non cum ludibrii genere te subsannabit et manibus super te plaudet? Nihil horum timuit, quia in turre spei stetit.

X. Habet in turri speculam; quæ denotat fidem Mariæ, prædicatam ab Elisabetha, Luca I. dicente: *Beata quæ credidisti*, videlicet Gabrieli. Maxima ea fides fuit. Credidit enim Deum fore hominem, et quidem in utero suo sine detrimento virginitatis et sine viri opera. Quanta et quam miranda sunt ista? Deinde, tempore passionis et mortis Christi in fide inconcussa fuit. Ideo eidem crucifixo adstitit, et cum cæteris mulieribus ad ungendum corpus ejus (quem firma fide tertia die resurrecturum credebat) nequaquam accessit, ut merito dicamus ipsam esse mulierem illam fortem de qua Proverb. XXI. dicitur: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus*: ea videlicet nocte, in qua cæcutiebant et nutabant ipsi apostoli. In cuius rei memoriam in officio hebdomadæ sanctæ reliquis candelabri triangularis candelis extinctis, una accensa remanet, quæ in Deipara fidem resurrectionis explicitam et inextinctam significat.

Habemus ergo Deiparam vere castellum fuisse et proinde dignum, in quod Christus intraret, et quod inhabitaret. Securus ibi Christus, ubi tali castello clausus. Non auferetur Christus ab eo, qui eum tali hospitio receperit. At vero cum hæc præsidia negliguntur, facilem acquirit hostis aditum ad expugnandum castellum, et qui in eo est, Christum.

Quid vero de iis dicam, qui his omnibus præsidiis carent? Verbo dicam. Hi castellum dæmonis sunt, quod imprimis fossa caret humilitatis; quare ibi fastus et arrogantia, proximi contemptus: caret vallo castitatis; unde ibi impudicitia et lascivia, fornicationes et adulteria, cantilenæ et choreæ: caret muro temperantiæ; hinc ibi gula et ingluvies, comessiones et ebrietates, vestium superbia, libertas et impudentiæ, levitas et garrulitas: caret pinnicidiis prudentiæ; unde ibi tenebræ et in quævis præcipitia facilis lapsus: caret propugnaculis justitiæ et fortitudinis; unde jure violantur et hosti manus dantur: caret sacello religionis; unde nulla pietas, timor Dei exultat: caret armario mansuetudinis; unde armis et furore omnia implentur: caret denique bombardis charitatis, turre spei, specula fidei; quia charitas ibi extincta est, spes friget, fides claudicat. Et quid mirum ejusmodi castellum a diabolo occupari et possideri

CONCIO III.

DE GLORIOSA DEIPARÆ OBDOREMITIONE.

I. B. Virgo dormivit plena diernm. — II. Præscivit diem mortis. — III. Morienti Christus adstitit. — IV. Et apostoli. — V. Obit sine dolore. — VI. Mors miraculis illustris. — VII. Corpus vitæ redditum.

THEMA.

Huic erat soror, nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Luc. X.

Magnum quidem humilitatis actum exercuit Magdalena, cum ad pedes Domini sedens verbum ejus audivit, sed inde tamen tantam sibi peperit gloriam: ut ne tantam quidem Cleopatra, cum unionem pretiosissimam ingenti fastu devoravit. Siquidem id Magdalene factum celebrat S. Lucas tamquam præclarissimum et post eum tota Christi Ecclesia. Scio ego et alteram Mariam, quæ et ipsa simili humilitate sedens secus pedes Domini audiit verbum ejus, et inde etiam multo maximam consecuta est gloriam. Ea vero est Deipara Virgo, quæ etiam sedit secus pedes Domini, quando ad instar aliorum hominum, imo ad instar etiam Filii sui, mortem ipsa quoque oppetiit et in sepulcro reclinata est, adeoque audiit verbum illud Domini, quo statutum est omnibus hominibus semel mori. Hæc ipsa tamen mors ad majorem ejus gloriam cessit, quam si mortua non fuisset: Ita nimirum Christus mortem vicit et mors mortis fuit, ut ex contempta morte faceret pretiosam mortem. Quam vero pretiosa et gloriosa fuerit mors Deiparæ, nunc discutiamus.

I. Obdormivit plena dierum in venerabili senectute, licet incertum quo ætatis anno; alii sexagesimum ætatis annum attingisse volunt, alii sexagesimum tertium, alii septuagesimum secundum. Quidquid de hoc sit, constat Deiparam post Filii ascensionem superstitem fuisse: deinde, satis certum etiam est ad senectutem pervenisse, quæ gloriosum Virginis transitum non parum decoravit. Si enim teste Sapiente, Prov. XVI. *Consona dignitatis senectus, qui in viis justitiæ reperitur*: cur non in Deipara, quæ in viis justitiæ unquam non ambulavit, omnem ætatem trivit, et ad multam usque senectutem perseveravit? Hinc non immerito ad honorem ætatis ejus recitamus rosarium seu coronam sexaginta trium globulorum; quoniam omnes illius anni pleni fuerunt justitia et virtutibus. Sed quid causæ fuit, quod matrem dilectissimam Christus tamdiu post se relinquere in terris voluerit?

Primo, ut Manichæorum hæresi os obstruere-

tur, neganti Christi corpus verum fuisse, sed phantasticum asserenti. Mater enim tamdiu superstes hujus veritatis testis erat, quæ eum in utero novem mensibus gestavit, eundem peperit, educavit et nutrit.

Secundo, in gratiam apostolorum, necnon pusilli gregis Christianorum, qui tunc erat: ut eos regeret, doceret et in persecutionum initio consolaretur et animaret. Nemo enim nescit primos Christianos veluti adhuc infantes præsidio matris indiguisse, a qua adhuc in tenella ætate alerentur et educarentur, id est, edocerentur, dirigerentur ac confortarentur, donec ipsa Ecclesia sapientia et robore ita cresceret ut suismet pedibus consistere et in aciem prodire posset: sic soli abscedenti succedit luna. Et quidem apostolos et evangelistas plurimum ab ea informatos esse in fidei mysteriis nulli dubium esse potest, et testatur in specie de Joanne evang. Ambrosius.

Tertio, in consolationem fidelium justorum, si hic diu vivere sinantur, et merces gloriæ ejus differatur. Si enim dilectissima Christi Mater tamdiu dilata fuit: quis non patienter sustinet? Certe S. Ignat. Loiola aliquando dicebat, si optio sibi daretur, ut vel confestim excederet cœli securus, vel superstes aliquamdiu, sed non proinde certus degeret; in hanc se partem iturum esse, dum præclarum aliquod operæ pretium Deo facere interim liceret, periculo præ obsequiis contempto. « Nam quis nostrum (inquit), est principum, qui oblata videns stipendia tantisper a milite differri, quoad pluribus illa titulis promeretur non obstrictum se credat, ad eam illa vel conservanda vel etiam duplicanda? Et principes nostri igitur hoc soleant: negliget Deus? Aut beatitudinem sua causa dilatam patietur amitti? Ego ut hæc de Deo credam, animum inducere non possum, » ut in ejus vita scribit Jac. Biderman. n. CLIII.

Quarto, in consolationem ipsius Deiparæ; ut ita scilicet videret adhuc in carne præsens initia et incrementa surgentis Ecclesiæ, adeoque filios, nepotes, ac pronepotes filii sui; siquidem: *Corona senum filii filiorum*, inquit Sap. Proverb. XVII. Quemadmodum Deus Moysen tunc demum mori voluit, quando jam e propinquo conspiciebat ex monte Nebo terram promissam, Deut. ult. sic etiam dilectam Matrem suam, quando ipsa jam e propinquo videbat Ecclesiam Filii sui per orbem propagatam. Et quis explicare posset illius gaudium, cum ex omnibus orbis partibus tot filios ad se venire supplices videbat?

Quinto, ad majorem ipsius gloriam, ut ita ampliorem meritorum copiam imo superabundan-

tiam compararet, quæ omnium sanctorum Regina futura erat: ne quis obrectatorum dicere posset eam gratis ad tantum gloriæ apicem esse evectam. Atque utinam S. Joannes vel alius quispiam apostolorum litteris commendasset, quid toto illo tempore Virgo designarit. Sed quid opus erat hæc conscribere; nemini enim dubium esse potest, vixisse sicut Matrem Dei decebat, adeoque in omni virtutum genere sese exercitasse. Invenisses ibi Martham in fovendis pauperibus, docendis ignorantibus, consolandis afflictis, corrigendis errantibus, diligendis inimicis: invenisses ibi Mariam in perpetua contemplatione et oratione, in visitandis sacris locis, in quibus Filius dimoratus erat, in osculandis pedum ejus vestigiis.

II. Præcivit mortis suæ diem, præmonita ab angelo, a quo etiam palmæ ramum accepit, velut bravium et victoriæ mortis signum, vitæque immortalis imaginem, ut testantur Methaphrastes, in orat. de Virg. et Niceph. l. II. hist. c. XXI. Quo nuntio mirifice recreata, veluti ad festivitatem omnium maximam sese præparavit: unde lumina illata, domus mundata, propinqui accessiti, ut testantur iidem ibid. Quid enim dulcius nuntiari poterat Matri, quam quod ad Filium, cœli Regem factum, coronanda vocaretur? Quando nuntiabatur patriarchæ Jacob, quod filius ejus omnium charissimus, Joseph, quem mortuum credebat, viveret et dominaretur in omni terra Ægypti, quodque ab eo vocaretur, ut gloriæ ejus particeps esset, eo audito, quasi de gravi somno evigilavit et revixit spiritus ejus, ait: *Sufficit mihi si adhuc Joseph, filius meus vivit; vadam et videbo illum antequam moriar*, Gen. LV. Considerate jam, quam suave fuerit nuntium Deiparæ allatum, quod tamdiu postulabatur. Communiter quidem dies mortis nemini revelatur: revelatus tamen est aliquibus magnis Dei amicis, qui toto desiderio ad Christum anhelabant, et cum ipso esse desiderabant. Et quis ex omnibus sanctis majorem causam habuit cupiendi resolvi et esse cum Christo, quam ejusdem Mater? Merito etiam palma, victoriæ trophæum, ad ipsam est delata, quia mors ipsius non tam mors quam somnus exigui temporis tridui videlicet, adeoque mortis victoria erat. Qua ratione etiam Christo, appropinquante ejus morte, palmæ a pueris prelatæ tamquam mortis domitori. Merito denique per angelum nuntium, accepit quod ipsa ad Filium ventura esset, quia per eundem acceperat olim nuntium, quod Filius Dei per incarnationem ad ipsam venturus esset.

III. Morienti adstitit Christus, angelorum stipatus agmine, animam Matris suscepturus, ut

scribit Damasc. orat. II. de assumpt. et Niceph. dicto loco. Nimirum ut ipsa Filio suo in cruce morienti fideliter adstiterat, depositumque de cruce in brachia sua acceperat, et terræ commendaverat: ita vicem rependit ei Filius, sed lætiore exitu; quia ejus animam manibus suis exceptam ad cœlos secum detulit, quod Mater Filio mortuo non poterat præstare. Videmus hic manifeste nihil in Christo fieri gratis, sed omnia servitia ei hic exhibita fideliter ab eo rependi: id quod promisit Luc. XII. *Cum enim dixisset: Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant et, mox subjunxit: Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis. Ecce vicem redditam. Præcingis te ad serviendum Domino: præcingit et ille se ad serviendum tibi. Ministras illi? Ministrabit et ille tibi.*

IV. Apostoli toto orbe dispersi divino imperio, per tonitru et nubem, ad Virginem morituram mirabiliter congregati sunt, ut scribit Damascenus, Metaphrastes et Nicephor. loc. cit. et Juvenalis archiep. Jerosolym. apud eundem Niceph. l. XV. c. XIV. *Nimirum ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ*, dicit Dominus Matth. XXIV. quam rationem reddit Damasc. Ad litteram enim ibi comparat Christus seipsum in judicio adventurum cadaveri, quod ejus odore omnes homines e distantissimis quibusque orbis partibus attrahendi, et celerrime advolaturi sint, quodque justorum ipse cibus tunc sit futurus et vita sempiterna. Similiter ergo ad Deiparam celerrime advolarunt apostoli ex variis terræ partibus, tum ut Virginis aspectu, qui deliciæ ipsorum erat, ad extremum recrearentur, tum ad discessum et funus ejus debitis officiis cohonestandum. Decuit enim ut orbis princeps dominam et reginam orbis, suis cohonestarent obsequiis. « *Quemadmodum Salomon, inquit Damasc. orat. II. ob requiem arcæ in templo Domini, seniores omnes Hierusalem in Sion coegit, ut arcam fœderis deferrent de civitate David, id est, de Sion et tulerunt sacerdotes arcam, et portabant eam tum sacerdotes tum levitæ, et rex et omnis populus gradiebantur ante arcam, boves et oves innumerabiles mactantes, et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum in oraculum domus, in Sancta sanctorum sub alas Cherubim: ad eundem modum ob requiem spirituales arcæ ipse novus Salomon Christus, tum mundo sublimiores cœlestium mentium ordines, tum*

primarios novi testamenti viros, id est, apostolos una cum universa plebe sanctorum, qui erant in Jerusalem, in unum cogens animum quidem in Sancta sanctorum, in exemplaria inquam vera et cœlestia per angelos introducit. Corpus autem apostolorum manibus portatur, Rege regum invisibilis suæ deitatis splendore illud contegente, atque universo sanctorum cœlu præcurrente sacrasque voces emittente, etc. »

V. Obiit sine dolore, nec ulla ægritudine confecta, ut habet Damasc. orat. II. et præ amoris incendio, ut Albertus Magn. in suo Martiali scribit: *Quemadmodum, inquit Damasc. antequam ullo partus dolore afficeretur, peperit: ita etiam ipsius e vita discessus doloribus carvit, etc.* Ad hæc jam dudum experta dolores mortis erat, sub cruce videlicet, quando ipsius animam doloris gladius pertransivit. Hac enim de causa etiam Joannes evangelista non solum absque martyrio, sed etiam absque doloris sensu, suaviter et placiter mortuus est, ut habet Cedrenus, in compend. hist. in Nerva, et Eusebius Emes. homil. de S. Joan. quia nimirum ambo jam olim gustarunt mortis dolores. Didacus Osorius Hispalensis a rege catholico in carcerem conjectus adhuc admodum juvenis, unica tantum incarnationis nocte, præ nimia animi angustia, cogitationibus mentem exagitantibus, totus incanuisse dicitur: ideoque demissus a rege et vita donatus, quod mortem jam gustasset. Refert Petrus Hisp. Sylv. p. II. c. VII. Cur non igitur libera foret a mortis doloribus Deipara quæ jam illos plus nimio degustarat? Denique, quia Mater Domini innocentissima et gloriosissima erat, suavissima et gloriosissima mors ei conveniebat: talis autem est mors præ amoris magnitudine: *Fortis enim est ut mors dilectio*, ait Salomon, Cant. VIII. Nicephorus ubi sup. refert, eam postquam Filio gratias egisset, composuisse eum gaudio corpus ad mortem et dixisse: *Fiat mihi secundum verbum tuum*: et ita spiritum tradidisse. Quo verbo indicavit se tanta cum alacritate et lætitia proficisci nunc ad Filium, quanta eundem recepit olim in hospitium uteri sui. Et sicut per hæc verba traxit quodammodo Dei Filium in terras et uterum suum: ita nunc per eadem tracta est anima ejus de corpore ad cœlum et Filium ejus.

Prædictum videtur hoc mortis ejus genus, Cant. II. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languo.*

VI. Mors Deiparæ multis illustrata est miraculis. Damasc. orat. II. et Niceph. l. II. c. XXII. refert cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, infirmis aliis sanitatem esse redditam, solo virginis tactu. Ibidem etiam refert Judæum quem-

dam dum sanctum corpus efferretur in hortum Gethsemani, odio et invidia repletum, sacro loculo manus injecisse, quo eum in terram dejicere et conculcare posset: sed illico manus ejus a brachiis avulsæ tum bæ adhæserunt. Unde miser Dei vindictam cernens, facti pœnitere, et lacrymas profundere cœpit. Quare jussu S. Petri avulsæ manus iterum juncturis suis applicatæ, ita coaluerunt, uti prius erant. Annon videmus veteris arcæ miracula in hac nova revocata? Tetigerat illam Oza absque reverentia, et subito extinctus est: tetigit hanc Judæus manibus hostilibus et mox illis destitutus est.

VII. Sanctissimum corpus Virginis corruptioni obnoxium non fuit, sed triduo post vitæ redditum, et ad cœlos assumptum. Ita tradit Damasc. orat. I. et II. et Andreas Cretensis archiep. Jerosolym. in orat. de assumpt. Juvenalis similiter archiep. Jerosolymitanus, apud Niceph. l. XV. cap. XIV. ubi respondit Martino imp. sacrosanctum corpus illius angelica simul et apostolica hymmodia elatum in tumulo quodam in regione Gethsemani repositum esse, et in tertium usque diem eo loco carmina angelos perpetua in honorem et laudem Dei Genitricis cecinisse, et cum eodem tertio die, is qui in obitu Virginis matris choro apostolorum non adfuerat, advenisset et sacrum illum cœtum, ut tumulum recluderet, quo et ipsa Verbi Matri debitum supremumque persolveret honorem, precibus summopere sollicitasset, atque sigillo ablato sepulorum apertum esset, sacrum illius corpus prorsus repertum non esse, sed sepulcrales illius fascias tantum suo loco intactas atque inviolatas, perinde ac si eas corpus paulo ante reliquisset, repertas. Et quidem inenarrabili odoris suavitate redolentes, eaque suavitate illos abunde afflatos, signaculo rursus tumulo imposito, abiisse. Atque illud solum pro eo ac decebat animo secum meditato, Deum corpus Virginis ante communem omnium resurrectionem immortalitate cohonestasse, etc. Quam convenienter istud factum sit, alibi diximus. Videmus igitur quam gloriosa mors consequatur sanctam vitam, quia verissimum est illud Augustini: *Non memini male mortuum, etc.*

CONCIO IV.

GLORIA VIRGINIS ASSUMPTÆ.

I. Symphonia. — II. Complexus. — III. Stola. — IV. Epulum. — V. Annulus.

THEMA.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. X.

Non video, quomodo hodiernum sermonem melius inchoare possim, quam cum verbis S. Bern. serm. III. de hoc festo: *Non est equidem, (inquit) quod me magis delectet, sed nec est, quod terreat magis, quam de gloria Virginis Mariæ habere sermonem.* Nihil me magis delectat: quis enim non vehementer gestiat, eam summis laudibus evehere, quæ salutem mundo tulit? Commendare navem, quæ famescenti civitati et pene desperatæ, de longe frumentum attulit? Hæc autem sola desperato mundo: *Facta est quasi navis institoris de longe portans panem, ut dicit Sap. Prov. XXXI. et interpretatur Ecclesia.* Quis non vehementer gaudeat celebrare illam, quam non dubitamus Deo esse proximam, et per quam speramus æternam consequi salutem? Sed interim tamen nihil est, quod me magis terreat, etenim: « Tanto eam devotionis affectu, inquit S. Bernard. ibid. amplectuntur, honorant, suscipiunt (*ut dignum est*) universi, ut licet de ea loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indici-bili, eo ipso, quod dici potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus acceptetur. » Quod si uspiam alibi, certe in hac solemnitate verum habet. Quis enim explicare sufficiat, assumptionis ejus gloriam, triumphum pompam, cœli applausum, angelorum lætitiâ, coronationem Matris Dei? Assumptionem ejus quis enarrabit (inquit ibid. Bern.) Si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se: quod præparavit gignenti se et diligenti præ omnibus quis loquatur? Hæc ille. Nec erravero si dixero stellas omnes si scribæ forent, cœlum papyrus, mare atramentum, scribere non posse ejus gloriam: quia ut B. Ildephonsus, ser. II. de assumpt. *Dixit Sicut est incomparabile, quod gessit, et ineffabile quod percepit: ita est incomprehensibile præmium gloriæ, quod meruit.* Et tamen (o insaniam hæreticorum) hanc Deiparæ celeberrimam solemnitatem de qua ss. patres, S. Hier. S. Aug. S. Athanas. S. Bern. S. Bernardin. S. Petrus Damian. S. Laurent. Justinian. S. German. S. Gerard. S. Ildephonsus. et alii tam præclaras et multas homilias scripserunt, non modo non venerantur, sed eidem impie derogant Lutherani,

dum auctore Lutero suo, in ser. quem habuit de natali Virg. impio ore dicere non erubescunt: *Omnes Christiani æque magni sumus sicut Mater Dei, et æque sancti, sicut ipsa.* O os blasphemum, o linguam æternis flammis ustulandam! Ostendemus igitur quam ad gloriam evecta sit.

Scio sane hæreticos parcissimos et cautissimos esse in commendatione Virginis Deiparæ, odio potius erga illam, quam erga Deum zelo; sed tamen spero daturos si non plus, saltem tantum obtigisse gloriæ Matri Dei in cœlo, quantum obtigit filio prodigo, postquam is ad Patrem rediit. Quis enim hoc negare ausit? Si filius ille, qui (ut Luc. c. XV. ait) devoravit substantiam suam cum meretricibus, ingrediens domum patris sui tanto cum honore et júbilo a patre exceptus est: Mater Filii Dei quæ non modo nullam dissipavit substantiam, sed potius proprii lactis substantiam reliquamque quam habebat omnem Filio impertivit, ingrediens aulam Filii cœlestem non honorificentius suscipi debuit? Audiamus igitur quali exceptus sit honore prodigus.

I. Pater ejus primo, symphoniam instituit et chorum: ita etiam non dubitare possumus exceptam esse in cœlo Dei Matrem cum maximo angelorum júbilo. Sed ubi hoc scriptum est, dicunt hæretici? Imprimis scripsit hoc S. Ansel. de exere. virg. c. VIII. « Contempletur, inquit, animo qui potest, quo animo, qua festivitate, quibus concentibus jubulant omnes bestorum spirituum ordines, quando et unicam Domini sui Matrem adventare, et ipsum Dominum suum ei videbant omni sua gloria decoratum velle occurrere? » Hæc ille. Accedit auctor antiquus, ser. de assumpt. V. M. qui habetur intra opera S. Hier. ubi idem scribitur. S. Bern. cœlum tunc evacuatum putat, serm. I. de assumpt. « Quis cogitare sufficiat, (inquit), quam gloriosa hodie mundi Regina processerit, et quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium legionum prodierit multitudo? Quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta, etc.? » Si enim venienti victrici, Judith occurrerunt de civitate omnes a minimo usque ad maximum, ut dicitur, c. XIII. ejus libri, cur non item Matri Dei, quæ contrivit caput serpentis, cœlestes omnes obviam procederent? Deinde, quis nescit qua solemnitate, quo júbilo deducta sit arca de domo Abinadab in domum David, II. Reg. VI. Certe ibi David et omnes Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, et citharis, et lyris, et tympanis, et sistris, et cymbalis: quanto magis hoc credendum de viva illa arca, in qua Dei Filio habitare placuit, cum in domum cœlestis David intro-

ducta est? Ad hæc si plures angeli mendici Lazari animam susceperunt, et cum gaudio in sinum Abraham portarunt, Luc. XVI. quemadmodum testatur Chrysos. vel qui est auctor homiliæ de divite et Lazaro, dicens: « Non suffecerat ad portandum pauperem unum angelus, sed propter plures veniunt, ut chorum lætitiæ faciant. Gaudet unusquisque angelorum tantum onus tangere. Libenter talibus oneribus prægravantur, ut adducant homines ad regna cœlorum, etc. » cum tamen in limbo non est propria locus lætitiæ, sed tantum expectationi illius. Si igitur ad congratulandum Lazaro conveniunt plures angeli, quando ad sinum Abraham tantum portatur: quem eorum fuisse putabimus, qui non obviam ierit Deiparæ ad cœlum gradienti? Denique, quando aedes Lauretana B. V. e Dalmatia in agrum Recinetensem ab angelis per mare Adriaticum mirabiliter translata et in silva collocata erat, arbores sese incurvaverunt, reverentia adimulæ exhibentes, ut scribit Horat. Tursell. de s. æde Lauretana, quæ etiam sic curvatæ ad hominum memoriam diu permanserunt: non dubium, quin hanc ipsam et majorem reverentiam exhibuerint in cœlo Deiparæ ligna illa et cedri Libani, id est, angeli. Jam vero quis explicet gloriam et gaudium Deiparæ gradientis in multitudine tot nobilissimorum et diversissimorum spirituum sibi laudes varias canentium. Alexander M. felicem se fore putabat, si Homerum nactus fuisset poetam, factorum et laudum suarum præconem. Ideo enim Achillem felicem prædicabat, quod laudum suarum præconem Homerum habuerit, Plut. in Alexand. quid igitur gloriæ ac lætitiæ putatis accessisse Deiparæ, cum audiit a tot millibus celeberrimis poetis, angelis, laudes suas sine fuco, sine periculo decantari? Sed parum fuit illi, angelos habere præcones: ipsemet Christus, Filius ejus præco illius factus est, et veluti David inter cantores alios ante arcam lusit. Multum est quod dico sed nimirum ipsemet Christus dixit, Marc. VIII. *Qui me confessus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice; et Filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis.* At quis magis eum confessus est, quam Beata Virgo juxta crucem inter crucifixores Filio adstantes? O quanta est differentia inter hunc et illum diem! In illo Christus non audebat eam vocare Matrem: « Ne materno nomine, (inquit S. Chrysos. hom. LXXXIV. in Joan.) amplius dolorem excitaret: non enim tempus tunc erat Matrem dulciter alloquendi, nec nomen Matris exprimendi. » Sed dicebat: *Mulier ecce filius tuus, sci-* ariet Joannes. In illo vero dicebat de se: *Mater*

ecce filius tuus: ibi non audebat dicere: *Ecce Mater mea*: forte ne quid ea adversi propterea pateretur a militibus: sed hic coram Patre et angelis dicebat: *Ecce Mater mea.*

II. Accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. Nec dubitemus id ipsum fecisse Christum Matri suæ benedictæ; de solio, inquam suo surrexisse, et obviam illi occurrisse eamque cum suavissimo amplexu excepisse. Ubi hoc scriptum est? inquis. Scribit imprimis auctor, serm. de assumpt. M. « Nec immerito creditur, quod ipse Salvator per se totus festivus occurrerit, et eam cum gaudio secum in throno collocaverit, alioqui quomodo creditur implese, quod ipse in lege præcepit: *Honora patrem tuum et matrem tuam!* » Similiter S. Bern. ser. I. de assumpt. cum ait: « Etenim non solum tota cœlestium legionum multitudo in Mariæ occursum prodiiit, illamque ad thronum gloriæ magno devotionis affectu deduxit, sed et Filius placido vultu, serena facie, divinis amplexibus eandem suscepit, etc. » Et propterea Petrus Damian. ser. de assumpt. magis quiddam fuisse colligit in assumptione Virginis quam in ascensione Christi: « Soli quippe angeli (inquit) redemptori occurrere potuerunt: Matri vero Christus ipse cum tota curia tam angelorum quam justorum solemniter occurrens evexit ad beatæ consistorium sessionis. » Deinde, nonne etiam rex Salomon, quando ad eum ingrediebatur mater ejus Bethsabee, surrexit in occursum ejus, III. Reg. II. qui cum sapientissimus esset, nequaquam id fecisset, nisi id decere, et præcepto divino congruum esse intellexisset. Quinetiam ipse Christus Stephano certanti, et jamjam morituro visus est, stans, videlicet de solio surgens ad eum suscipiendum: et non fecerit hoc Matri suæ? Quomodo vicem Matri rependisset alioqui, quæ quoties eum ad manus ducebat, et ingredi docebat, ad hæc modo in Ægyptum, modo Jerosolymam in templum introducebat, modo crucem gestanti cum lacrymis occurrit? Ut scribunt S. Bern. de planctu Virg. et S. Bonav. in medit. vitæ Christi, c. LXXVII. O quantum interest hunc inter occursum et illum? Ibi occurrens Mater Filio, vidit eum in forma inusitata, ut meditatur S. Bonav. in vita Christi, c. LXXVII. nimirum spinis coronatum, victoribus stipatum, despectum, ligatum, sanguine respersum, ligno prægravatum; nec præ doloris vehementia verbum illi ullum loqui poterat: ibi velut luna ex aspectu solis eclipsin passa est: ibi Mater Filium et Filius Matrem mutuo aspectu acerrime torquebant: ibi corruentem Filium Mater sublevare non audebat. At hic videt Mater Filium iterum inusitata forma, sed gemmis coronatum,

angelorum exercitiis stipatum, gloria et decore inditum, candidum, claves cœli gestantem. O quam suavis utriusque aspectus, quam dulce colloquium! Qualis amplexus et introductio in gloriam, etc.!

III. Induit eam stola prima, id est, primaria et quæ inter omnes primatum obtinet ut aliqui interpretantur, teste Barradio ibi. Stola autem gloriam representat. Unde Eccl. XV. dicitur: *Stola gloriæ vestiet illum*: et in Apoc. sæpius videntur sancti amicti stolis. Et qualem putabimus datam esse Deiparæ stolam, nisi primam et omnium principem præ omnibus sanctis? Crederem hoc, inquit hæreticus, si id scriptum esset. Sed id scripsit in primis S. Chrysost. in liturgia, ubi eam: « Honoratiorem Cherubim et gloriosiore incomparabiliter Seraphim » appellat: atque: « Ut vere dignum ac justum est, » inquit. S. Ephrem. in orat. de laudibus Virg. ita scribit: « Sanctior Cherubim, sanctior Seraphim et nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitiis gloriosior. » D. Epiph. similiter, in serm. de laudibus Virg. ait: « Maria solo Deo excepto cunctis superior existis, natura formosior es ipsis Cherubim, et Seraphim et omni exercitu angelico: » et D. Bern. serm. de assumpt. idem testatur, et simul rationem dat, inquit: « Nec in terris locus dignior, uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit; nec in cœlis regali solio, in quo Mariam Filius sublimavit, » q. d. quia Maria Filium Dei dignissimo in terris loco, utero videlicet suo virginali et sanctissimo suscepit, decuit ut eadem ab illo dignissimo in cœlis loco susciperetur. Hanc virginis gloriam vidit et describit Joannes, Apoc. XII. dicens: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim*. Quod ut intelligamus, notandum ex apostolo, I. Cor. XV. gloriam beatorum differre, sicut stella differt a stella in claritate: *Alia claritas solis*, (inquit), *alia claritas lune, et alia claritas stellarum*. Jam uti sol sine comparatione reliquas stellas excedit, ita dicendum est gloriam Deiparæ excedere gloriam reliquorum sanctorum: quia a Joanne dicitur *amicta sole*. Luna vero præcipuorum sanctorum gloriam representat; unde sanctos, de quorum sanctitate nihil dubitamus, luna coronatos depingimus. Quoniam igitur B. Virgini luna sub pedibus visa est, significat id quod in sanctis præcipuis est maximum et supra caput, id in Deipara esse minimum et infra pedes. Corona vero stellarum duodecim quid designat, nisi quidquid eminet sparsim in omnibus sanctis, id totum fulgere in Mariæ corona et gloria? Ibi gloria patriarcharum, quia et fides: ibi gloria propheta-

rum, quia prophetia: ibi gloria apostolorum, quia et charitas: gloria martyrum, quia et fortitudo: gloria doctorum, quia et intelligentia: gloria confessorum, quia et patientia: gloria sacerdotum, quia et sanctimonia: gloria eremitarum, quia et contemplatio: gloria monachorum, quia et humilitas: gloria virginum, quia puritas: gloria viduarum, quia continentia: gloria conjugatorum, quia et fecunditas. Ad hæc si Maria vestivit Dei Filium optimo et præstantissimo quod habuit, purissimo videlicet sanguine totius corporis sui, ut certissimum: si in præsepi involvit pannis: si labore manuum et arte textrici vestivit tunica inconsutili, ut asserit ex traditione patrum Euthymius, in Matth. cap. XXVII. si denique cum nudaretur ad crucifixionem Filius, velo de capite sibi detracto verendas ejus texit partes, non dubitans inter medios accurrere lectores, ut putat D. Ansel. de passione: annon decebat, quæso, ut Filius Matrem similiter vestiret: imo super omnes alios splendidissime ornaret, a qua splendidissime sicut potuit decentissime et opportunissime vestitus est? Quamquam enim exigua videntur hæc obsequia, Deo tamen præstita sunt, et in ejus paupertate, et a paupercula matre: ac proinde excellentissimam præ omnibus merebantur remunerationem. Si enim S. Martinus quia aliquando ante missarum peractionem vestem suam pauperi dedit, postea in sacrificio circa brachia nudatus, ob defectum vestis erogata, divinitus vestitus fuit manicis supra modum ornatis et splendidis (ut habet in ejus vita Sever. Sulpit.) quali putatis veste ornatam a Filio Matrem esse, quæ ipsamet Deum tam officiose vestiit? Quis comprehendere possit splendorem illius vestis, quam miratur David, Psal. XLIV. dicens: *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate, etc.*

IV. Instruxit ei convivium et cum eo epulatus est. Hoc Christus Matri fecit, dum gloriam suam ei communem fecit, adeoque gaudia sua, quotquot habet, veluti epulas (quemadmodum ipse Dominus vocat, Luc. XXII.) eidem degustanda apposuit. Ita sensit Arnoldus Carnotensis, tract. de laudibus virg. et refertur, tom. VI. biblioth. ss. patrum, cum dixit: *Filii gloriam cum Matre non tam communem judico quam eandem*. Ita S. Joan. Damasc. orat. de assumpt. ait: *Decet Matrem ea, quæ sunt Filii, possidere*. Sed quænam illa gloria, inquit, quam Matri communicavit? Sed dic tu imprimis quæ et quanta sit Christi gloria? Dicam tamen aliqua. Communicavit imprimis Matri gloriam sessionis, ut si non eodem throno, saltem in eadem hierarchia supra omnes angelorum hierarchias, juxta se consideret. Ita enim insinuat auctor. serm. de

assumpt. supra cit. cum ait, non immerito credi, quod eam Christus cum gaudio secum in throno collocaverit, ob præceptum illud: *Honora patrem et matrem*. Ita sentit et explicat id Psalm. XLIV. *Adstitit regina a dextris tuis*, card. Bellarminus: a dextris inquam, hoc est, loco paulo inferiore et post Christum proximo, in eadem tamen hierarchia (utpote quæ per unam solam personam constitui non potest, ut nomine patet): præfiguravit istud Salomon rex, qui ad dextram suam collocavit matri thronum, III. Reg. II. item pater ejus David qui arcam fœderis intulit in domum suam II. Reg. VI. Communicavit secundo, gloriam cultus et venerationis, non quidem quod eodem cultu adoranda sit Mater cum Filio (quia hic patria, illa hyperdulia, ut S. Thomas ostendit, III. p. colenda) sed alia duplici ratione; primo, quod omnis cultus Filii redundet in Matrem, quatenus Mater ejus est: quo sensu dixit Arnoldus Carnot. ubi sup. *Quicumque Jesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat*. Secundo, quod ipsa ab omnibus colatur creaturis, tam angelis quam hominibus, quemadmodum et Christus, imo suo etiam modo ab ipso Christo: siquidem de ipsa prædixit, Luc. I. *Beatam me dicent omnes generationes*. Utrumque complexus Rupertus, lib. penul. in Cantica ait: « Tanta es, ut te honoret ipse sol (Christus) honore, quo decet filium honorare parentes suos, qui enim dixit: *Honora patrem tuum et matrem*, non dubium quin et ipse honoret, et ab omnibus amicis suis velit honorari Matrem. » Hæc Rupert. Communicavit tertio, gloriam visionis, quia quæcumque videt Filius scientia visionis, videt et ipsa: *Omnia observas*, inquit S. Germanus, serm. de assumpt. ipsam alloquens, *omnia intueris et inspectio tua ad omnes se porrigit*. Et ratio est, quia unusquisque beatus videt omnia quæ pertinent ad statum suum; ut docet S. Thom. p. 1. quæst. XII. B. Virgo autem in instrumentum cooperata est ad totius humani generis redemptionem, estque advocata, mater, refugium omnium mortalium, ad hæc Christo in cœlis conjunctissima: quomodo igitur ipsi celare aliquid potest Filius? Quæ omnia non difficile, credo, admittemus, si pensemus Deiparam in vita participem fuisse totius tristitiæ, confusionis et dolorum Filii sui. Quomodo enim ea non videret jucunda et delectabilia omnia, visa a Filio, quæ et dolores ejus vidit omnes et diu ante prævidit? Quomodo ea non esset particeps venerationis, quæ sub cruce Filii particeps fuit confusionis? Quomodo non communem habeat vel potius eandem Christi hierarchiam et aulam, quæ communem ei fecit in terris domunculam suam? Quomodo ea non adhæreat lateri Christi in cœlis, quæ in omni tribula-

tione adhæsit ei in terris? Quæ cum ipso in stabulo mansit, fugit in Ægyptum, cum ipso sub cruce stetit, quæ in medio hostium furore militum tumultu et armorum strepitu omnibus amicis recedentibus ab ipso non recessit? Quæ omnes illos dolores, omnia tormenta, quæ in corpore tulit Christus, ipsa in corde passa est, quæque extremum illud lanceæ vulnus, quod Filius sentire non potuit, ipsa pro eo in animo sentit et excipit? Quare verissime apostolus dixit, II. Cor. XI. *Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis*. Jam vero o quantum interest inter utramque societatem! Quam angustum, quam pauperculum erat illud Mariæ tuguriolum (sicut in hodiernum Laureti visitur) in quo Christum concepit, educavit, et enutrivit? Quam magna contra est domus Domini et ingens locus possessionis ejus, quem Filius Matri communem fecit? Quam diversum est convivium, quod Matri in cœlo exhibet, ab illo, quod in monte Calvariæ exhibuit? Quid enim tunc cernere poterat, quod tristitiam et mœrorem non afferret: si mortem in quo erat aspiciebat, ubique mortis vestigia, fœtorem et horrorem videbat: si circumstantem turbam, hinc quidem pauculos collacrymantes amicos, illinc turbam frementem et fruentem videbat; si cœlum, solem præ more obscuratum, aerem tenebriosum, diem in noctem conversum, Deum Patrem implacabilem videbat: si denique, pendentem in cruce Filium videbat lumen oculorum suorum extinctum, nudum sanguine conspersum, spinis coronatum. At vero hodie omnia contraria, omnia in gaudium conversa aspicit: infra se locum amœnissimum, plateas auro et gemmis stratas: circa se hinc ordines angelorum et beatorum latantium, sibi que applaudentium: illinc turbam inimicorum in gehennam demersam: supra se deitatem, totum irradiantem cœlum, diem perpetuum, noctem nullam: juxta se Filium gloria et honore coronatum, decore vestitum, totius universi gubernacula tenentem, seipsam denique omnibus gaudiis et deliciis affluentem et circumfluentem, supra angelos exaltatam, omnium in se oculos conversos, etc.

V. Annulum manus ejus indidit, qui significat potestatem imperialem, obsignandi quascumque regis litteras, et bona ejus dispensandi pro libito et gratias concedendi, ut patet Esth. III. ubi Assuerus Amani, etc. c. IV. Mardocheo in hunc finem annulum suum dedit. Et num putamus hunc negatum a Filio Matri? Minime gentium. *Constituta quippe est super omnem creaturam*, inquit Arnoldus ubi sup. Similiter S. Joannes Damasc. orat. III. de assumpt. docet Filium Matri res omnes conditas in servitutem addixisse: *Rerum om-*

nium conditarum domina effecta est, inquit. De eadem D. Gregorius Nicomed. archiepisc. orat. de edit. B. V. in templo oblata: ait: « Nihil tuæ resistit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo jussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati serviunt. » In hujus rei figuram Assuerus, cum adamasset Esther, plusquam omnes mulieres, posuit diadema regni in capite ejus et fecit eam regnare in loco Vasthi, ut dicitur, Esth. II. Quid est autem diadema regni alteri imponere, quam imperium tradere et regem vel reginam constituere? Nec difficile hoc admittimus Deiparæ factum esse. Nam si ipsa diademate humanitatis suæ coronavit Filium, ut dicitur, Cant. III. et exponit S. Ambrosius, lib. de instit. Virgin. cap. XVI. cur non item Filius coronet Matrem diademate divinæ potestatis suæ? Cæterum uti Esther duas habebat famulas, una cui innitebatur, altera quæ defluentia in terram vestimenta sustentabat, ut habetur, Esth. XV. ita et Deipara. Nam S. Bonavent. in specul. Virg. « Duæ, inquit, famulæ, quarum domina est regina Maria, sunt angelica et humana creatura: humana est famula illa, quæ sequitur dominam suam in mundo, colligens vestimenta dominæ, hoc est, virtutes et exempla Mariæ; angelica vero est illa altera super quam in cælo innititur se sociando ac deliciando cum angelis, innititur insuper tamquam potentissima angelis imperando. » Hæc Bonaventura.

Superest nunc ut Matri Dei, tamquam sorori nostræ congratulemur.

CONCIO V.

QUAMOBREM DEI GENTRIX MARIA AD CELSISSIMUM COELI THRONUM POST FILIUM EVECTA SIT.

I. Ob merita bonorum operum. — II. Ob humilitatem. — III. Ob charitatem. — IV. Ob tribulationem. — V. Ob Christi imitationem. — VI. Ob propinquitatem.

THEMA.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. X.

In parabola de prodigo filio introducit Dominus Lucæ XV. fratrem ejus indignantem et murmurantem, nec valentem introire paternas ædes, eo quod pater filium e longinquo revertentem tanto honore exceperisset, quantus ipsi nunquam fuerat exhibitus. Audivit enim quomodo pater instituisset ei symphoniam, quomodo eum exceperisset obvians illi, quomodo induisset stola prima, quo-

modo instruxisset ei convivium, et dedisset anulum in manus ejus: ob quæ omnia indignabatur et fratri invidebat. Ostensurus hæc parabola Dominus gloriam cælestem justis præparatam, non voluit indicare, quod in cælo ejusmodi murmur sit futurum, quod alter alteri beatorum majorem invidet gloriam: sed voluit ostendere tanta sanctos aliquos in cælo gloria præmiandos ut si inter beatos murmur et invidia esse posset, quemadmodum inter viventes, plurimi ob id indignaturi et murmuraturi essent. Quam vero pre omnibus sanctis in cælo fulgeat Maria Virgo, alibi vidimus, idque ex fundamento Scripturæ, ss. patribus et ratione: ostendimus enim et omnia illa (eminentiori tamen modo) a Deo esse exhibita, qua exhibuit filio prodigo pater. Ostendimus institutam et symphoniam ss. angelorum, Christum ei ad cælos gradienti obviam prodiisse; induisse eam stola prima, id est, gloria omnium principum; exceperisset eam convivio, hoc est, gloriam suam ei communicasse; denique donasse eam annulo, hoc est, potestate imperiali ad distribuendas gratias. Audivimus ergo sororem nostram Mariam exaltatam super angelos, sedentemque a dextris Filii, dominari in toto cælo. Hoc tamen audito nuntio, fortasse non deest etiam malevolus quispiam frater, qui ob tantam sororis nostræ gloriam indignetur et murmuret, vel saltem curiosius inquiret quamobrem Maria tantum gloriæ apicem conscendere meruerit. Certe hæretici instar lucifugarum splendorem gloriæ ejus ægre intuentur et suis circumvolutionibus extinguere aut saltem obfuscare conantur. Sed frustra laborant miseri, et sibi ipsi tantum malum creant. Ringantur enim licet, non debebunt id quod scriptum est: *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, etc.*

III. Reg. X. legimus Salomonem fecisse sibi thronum de ebore grandem auro fulvo nimis vestitum, ad quem sex gradibus ascendebatur. Quoniam igitur asserimus a dextris Filii consistere Mariam, necesse est ut ipsa prius ascenderit per sex gradus ad Filium, qui aliud non sunt, quam totidem examina.

I. Primus gradus seu examen est meritum bonorum operum, ut patet ex illo examine Judicis: *Esurivi et dedistis mihi manducare, etc. Qui enim parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*, ait apost. II. Cor. IX. et Ps. CXXVII. *Labores manuum tuarum manducabis.* Quis autem plus bonorum operum seminavit, quam Maria? Nam imprimis a juventute religiosissime fuit educata, et deinceps vivente Christo semper in ejus schola et conversatione vixit, et ad magnam ætatem pervenit;

quodque caput est, semper in Dei gratia, sine ullo peccato vixit, unde nullum omnino bonum opus inquam mortificavit. Hinc ipsa in articulo mortis optime canere potuit id sponsæ, Cant. VII. *Mandragoræ*, id est, poma pulchra, odorifera et rara secundum Lyran. *dederunt odorem suum in portis nostris. Omnia poma nova et vetera dilecte mi, servari tibi.* Nos enim poma operum nostrorum sæpe putrefacimus per peccata: non illa. Unde sicut veniente regina Saba ad Salomonem: *Non sunt allata ultra tam multa aromata*, id est, merita et virtutum odores, atque ipsa attulit, III. Reg. X. ita nemo unquam intulit tanta in cælum merita ac Deipara: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*, Prov. XXXI. Secundo, omnia illius opera erant charitate intensissima informata, quia erat gratia plena; nec licet cogitare, quod ipsa hanc gratiæ plenitudinem in vacuum receperit, et veluti servus ille piger talentum suum absconderit. Ergo omnia sua opera gratiæ illius plenitudine informavit, et quodammodo inauravit, ita ut majus meritum haberet, quam reliquorum sanctorum opera. In cuius rei figuram, Salomon omnes templi parietes aureis laminis vestivit, ita ut intus templum universum fulgeret aureum: nihilque erat in templo, quod non auro tegetur, III. Reg. VI. Ad idem pertinet, quod sponus dilectæ dicit, Cant. IV. *Emissiones tuæ*, id est, germina seu propagines fructum, *paradisus malorum puniceorum.* Mala enim punica omnia coronata sunt, indicantque hoc loco singula Virginis opera singulas meruisse coronas.

Tertio, utramque vitam contemplativam et activam vixit accuratissime: patet autem vel ex hodiern. evang. utramque hanc vitam simul junctam præstare singulis. Magdalenam egit Deipara, quia omnia ejus verba conservavit in corde suo, et semper ad pedes illius sedit: Martham egit, quia totam ei vitam ad instar ancillæ sollicitè ministravit. Audi Bernard. serm. LI. art. III. c. III. « Sicut nulla unquam fuit similis contemplatrix, sic nunquam fuit Virgini similis ministratrix. Alii induunt pauperes de lana ovis, ipsa induit Filium Dei de purissimis sanguinibus suis: alii induunt de panno, ipsa de corpore suo: alii pascunt pauperem pane extrinseco, ipsa pavit humanatum Deum de lacte proprio: alii suscipiunt pauperem hominem in tugurio, ipsa vero suscepit immensum Deum in corde et corpore suo: alii propter Deum ministrant infirmo, ipsa Deo in pauperulo corpore ministravit: alii solliciti sunt, ne aliquid deficiat inopi, Virgo sollicita ministratrix fuit et manibus suis laboravit, ut subveniret Deo homini indigenti: alii incarceratos et vulne-

ratos homines visitant et eis compatiuntur dum vivunt, et mortuos sepeliunt, Virgo Christo pro nobis capto, ligno crucis affixo vulneribus, dilaniato tanto dolore compassa est ut inexpressibile sit etiam angelicæ linguæ. » Unde optime designatur per Esther, quæ duabus comitata famulabus (quarum uni innitebatur, quæ contemplatrix est vita; altera defluentes vestes sustentans sequebatur, quæ activa) ad conspectum Assueri prodit, Esth. XV.

II. Secundus gradus et examen est humilitas. Hoc examen indicavit Dominus, cum Matth. XVIII. interrogatus, quis major esset in regno cælorum, parvulum in medio discipulorum statuit et dixit: *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cælorum.* Ad hanc mensuram quicumque proxime accesserunt, magni effecti sunt. Inter angelos Michael jure princeps est, et princeps magnus a Daniele vocatur, quia Lucifero superbienti per humilitatem suam restitit. Quid enim sonat Michael, nisi quis ut Deus? Ecce humilitatem ejus. Inter patriarchas princeps Abraham, quia humillimus: *Loquar ad Dominum*, dicebat, *cum sim cinis et pulvis.* Inter reges princeps David, quia et humillimus: *Et ludam et vilior fiam plusquam factus sum, et ero humilis in oculis meis*, dicebat cum ante arcam ludens et exiliens rideretur ab uxore, I. Reg. VI. Inter prophetas princeps Joannes Baptista, quia est humillimus: *Non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti ejus*, dicebat. Inter apostolos princeps Petrus et Paulus, quorum ille dicebat: *Exi a me Domine, quia homo peccator sum*: hic vero: *Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus*, I. Cor. XV. Vident quam prope hi accesserint ad propositam sibi pueri humilitatem, et quantum ob id evecti sint. Sed hos omnes superavit Maria, quia cum esset ad supremam maternitatis Dei evecta dignitatem, et propterea gratiæ plenitudine omnes superaret, nihilominus ipso tantæ exaltationis momento, dum ab angelo tam honorifice salutatur, ad imam humilitatis abyssum se dimisit, dicens: *Ecce ancilla Domini.* Quis enim dubitat, longe majorem fuisse humilitatem S. Eduardi regis Angliæ, qui claudum pauperem humeris suis ad templum gestavit, quam si hoc idem nobilis quis aut plebeius fecisset? Nemo nescit aquas quanto altius descendunt, tanto altius rursus ascendere. Sic pila quanta fortius dejicitur in terram, tanto altius salit. Maria tanto conatu se allisit terræ, cum positus humi genibus, ut vult Anselmus, dixit: *Ecce ancilla Domini.* Ob hanc causam Christus fuit omnium humillimus, quia cum esset Filius Dei, humiliavit se usque ad crucem. Si enim personæ dignitas non intenderet